

mento. Nam si confideres tardam hujus periodi revolutionem, quam Neoterici nostri ad 2500 annos minimum extendunt, facile in hanc sententiam condescendes. Ex hoc igitur vel solo totam evertimus Genethliacorum machinam & artem. Aut enim nemo unquam talem, quam Christus, habuit Genesin, aut habuit: si habuisse dicas, ex proprio confesso blasphemus es; nemo enim non dicam omnia, sed ne ullam quidem ex singularibus prerogativis, quas Christi Nativitati attribuunt, sortitus est; alias & alii homini admirabilis hæc genesis competeret. Si non habuisse concedis, ad quamnam experientiam provocabis in predictionibus tuis de Christo, cum à principio generis humani nullus Astrologus extiterit, qui hujuscemodi Thema cæleste viderit, ejusque effectum consignaverit? indubitata ergo fidei est, Genethliacos etiam hæc nullo fundari experimento.

§. IV.

Silentio etiam involvimus vana omnia illa, quæ de officiis cellularum Planetarum qualitatibus, aliisque generalioribus Genethliaci effutiunt judiciarii cum his omnibus apud Cordatiores fides aut nulla aut tamen difficilis sit Magis urgemus hæc, quod erecta hæc sua cæli themata omnibus extollant modis, quasi ea non aptius ad Christi vitam & mortem congrui videantur. Ast si inspiciamus illorū specula deprehendimus Saturnum in V. I. & X. domo, Jovem in X. I. I. & II. Martem in I. VII. & VIII. Solem in IV. & V. Venerem in II. V. & VI. Mercurium in III. IV. & V. & tandem Lunam in III. VII. VIII. & X. Domo esse constitutos. Jam dicat mihi, qui saltem à limine Astrologiam gustarit, annon hæc omnia è diametro sibi sint opposita, Percurtamus paucis Astrologorum Oracula De Saturno in VIII Domo (Fig. VI.) dicit Schonerus, quod significet malam mortem merorem atque tristitiam mortis causam, longamque lamentationem. Quando constituitur in IX. Domo (Fig. I. IV. V. VI.) significat juxta Albohary, malam fidem exitumque ad malum, hominem parum devotum, qui effodiet sepulchra causa spoliandi mortuos. &c. Si positus denique dicitur in X. domo (Fig. II. III.) facit in nocturna genitura ingentia & manifesta damna à regibus & potentibus, & natus post tricesimum annum à regibus honorabitur. En quam egregie scilicet hæc omnia concordent.

§. V.

Reliquos, quibus scateat Horoscopus Christi, errores in medium proferre in presentiarum super sedemus. Sufficit potiores hæc indicasse, totamque fundamenti machinam destruxisse. Plura qui de ineptiis hisce Astrologicis, earumque ruinosam structionem scire avert. consulat Picum Mirandulam, Sextum Empyricum, Alexandrum de Angelis, Gassendum: Merfenni Commentar. in genesin, Cornelium Agrippam, innumerosve alios ex professo hoc Thema tractantes. Salvatori interim nostro, qui non secundum Astrorum significationes natus, passus & mortuus est, sed κατ' ἐξουσίαν

τῷ Θελήματι τοῦ Θεοῦ, sit laus honor ac gloria.

COROLLARIA.

- I. Datur influxus Stellarum in hæc sublunaria.
- II. Fixarum influxus non videtur satis perceptibilis.
- III. Stellæ fixas Soli æquales esse, verisimile est.
- IV. Chiromantia cum Astrologia pari ambulat passu.

Astron. 584, 40.